DE NATURA PHTHISIS PULMONALIS MINIME CONTAGIOSA...

Luigi medico Cavaleri (medico)

DE NATURA

PHTHISIS PULMONALIS
MINIME CONTAGIOSA
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
AC CELEBERRIMIS FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE
ET DECANO
NEC NON CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AD

DOCTORIS GRADUM IN RE MEDICA

ASSEQUENDUM

CELEBRATISSIMO IN ARCHIGYMNASIO TICINENSI

EDIDIT

ALOYSIUS CAVALERI

ALUMNUS BORROMAEUS
MEDIOLANENSIS.

*

TICINI REGII.
EX TYP. FUSI ET SOC. SUCCESS. GALEATII.
1819.

DE NATURA

PHTHISIS PULMONALIS

MINIME CONTAGIOSA.

DISSERTATIO.

Mirum equidem est, quod homo, qui sui similis societatem selegit, tot, et tantis libertatis commodis abdicans, ut in suis similibus iisdem totidem existentiae suae tutores, et curatores haberet, mirum, inquam, et conceptu fere impossibile, quod ab illis ipsis interdum derelinquatur, pietatis, at languentis humanitatis vocibus omnino auribus denegatis. Sed valde adhuc magis mirandum, quod interdum talis in suos inaudita barbaries ab ignorantia, vel insania potius quorumdam pseudomedicorum dependeat, quorum officium versus infelices quale esse debeat, nemo non ignorat. Manifestissimum revera hujus adserti exemplum conspicitur respectum habendo effectibus a mala concepta de Phthisis Pulmonalis contagiosa natura opinione, ortis. Morbus hic, seu phthisis pulmonalis, quae numerum propemodum enor-

mem, et quidem juniores; et florentiores humani generis individuos sibi avida manu arripit, jure merito omnium medicorum attentionem, et diligentiores animadversiones promeruit, ut minus funesta hominibus redderetur: et cum adeo frequens videretur hic morbus, ut in quibusdam regionibus maxima habitantium pars illius victima evaderet, hinc inconsultis omnino rationibus quidam medici non dubitarunt ejus causam repetere a proprio contagio, seu a contagio phthisico. Haec equidem opinio, quae facile cuique videri potest absurda, nullam mereret refutationem, si indifferens esset pro physica individuorum salute; sed dolendum, quod tot aerumnarum plerumque causam sistat, maximam physicorum, et psychicorum malorum seriem constituens; et reapse qualis non erit metus inter familias, in quibus quispiam fuerit phthisicus, ne ad alios individuos morbus propagetur? Unde omnes amici ab illo insalutato recedent, filii parentem deserent, mulier, vel conjux dimidiam sui partem vix ne adspicere quidem audebit, et ille tandem ab aliquo tantum venali famulo adjuto, et ab omnibus derelicto infelicissimam, et mortis adhuc pejorem ducet vitam residuam. Quibus de causis, cum ad assequendam Medicinae Lauream officium Candidati sit quidquam de propria scientia disserere, sic mei muneris executionem in societatis utilitatem redundare tentavi, cum erroneam, et summopere damnosam opinionem supradictam in hac mea

dissertatione destruere coner; contagium nempe phthisis pulmonalis minime existere posse contendendo.

Ab antiquissimis usque temporibus accepta fuit a quibusdam opinio de phthisis pulmonalis contagio, atque istius opinionis prima vestigia in libris apud Adsocratem Atheniensem oratorem inveniuntur in Eginetica oratione, in qua de certo homine refert, qui ab amicis ne amico phthisico operam suam praestaret, suadebatur ex eo, quod quamplures tali ratione perierint. De hoc paullo post in suis problematibus (sess. 7. art. 8.) mentionem fecit Aristoteles, ubi tabem cum ophthalmitide conjungit, quam contagiosam quoque esse credebat; cujus tanti viri opinio ab Alexandro Aphrodisiense post quinque secula restaurata fuit. Columella, et Varro parvulos quosdam vermes ex putredine tuberculorum ortum ducere contendebant, a quibus deinde verus ulcerum contagiosarum character proveniret: est horum insectorum existentia a minus partiali, et vera observandi ratione quorumdam celebrium virorum plane contraddicta fuit. Zacutus Lusitanus in sua praxi admirabili ipsum phthisicorum sudorem contagiosum censuit, de quo non miramur profecto in hoc scriptore aliunde eximio ad res portentosas, incredibilesque admittendas pronissimo. Fracastorus (de contagione, et contag. morb., et curat. lib. 3.) judicavit hoc suppositum contagium propagari posse per cubiculorum parietes, per thoros, et per omnes

alias diversas supellectes, quae in phthisici alicujus usum ductae fuere. Montanus illud per phthisici sputorum tactum, aut illorum olfactum propagari posse asseruit. Ballonius (Consult. XVII. lib. 1.) Phthisicorum consortium, et conversationem inhibet; illius opinionis quoque est Riverius, praecipue, uti ipse ait, cum parentibus. Anglus quidam Morton (Phthisiologia) tantum censet per accubitum cum talibus aegrotantibus contrahi morbum. Wenceslaius Traka (historia febr. hect. omn. aevi paragr. 31.) hecticam febrim nunquam esse contagiosam contendit, excepta illa, quam phthisis pulmonalis prouti symptoma refert. Tali modo opinatur quoque I. H. Schulzius (dissertatio de febri lenta, et hectica par. 9 pag. 12). Quibus omnibus opinionibus plures aliae adjungi possent recentiorum, et celebrium Scriptorum in scientia nostra quae tamen adducuntur tantummodo, quin earum veritas demonstretur.

Illa quidem opinio circa phthisis pulmonalis indolem, amnibus temporibus suos asseclas habuit, et prae aliis avide a vulgo arrepta fuit, et credita, prouti ille, qui superiorum auctoritatum verba, tamquam infallibiles sententias retinet, si praesertim de portentosis, et vix possibilibus phaenomenis, aut terrorem incutientibus agatur; quibus de rationibus Magistratus ipsi aliquarum regionum hoc objectum Medicinae Politicae exactissima disquisiverunt, et quando in nimis meticulosos, aut phanthasticos medicos inciderunt,

eorum opinionibus faventes, severas disciplinas instituerunt ad idealis contagii promulgationem praecavendam: atque nonnulli populi fuerunt semper, qui peculiares, et privatos mores servabant, ut se immunes ab istiusmodi morbo facile suscipiendo, servarent: ita visum fuit Parisiis ad scrupulum omnia comburi instrumenta, et supellectes, quae cuidam ex tabe pulmonali mortuo inservissent; constans est talis mos in Occitania; in Hispaniis vero, et praesertim in Lusitania hoc lex expressim jubet; medici ibi tenentur aegrotantes ante sanitariam commissionem denunciare, cum ad tertium phthisis stadium pervenerint; in aliquibus quoque Italiae provinciis comburi solent ea omnia, quae ad alicujus phthisici usum servierunt, quod in Etruria scrupolose observabatur, ubi vestes, lyntea, aliaeque res istis aegris propriae non solum igni traduntur, sed etiam parietum tectorio illius cubiculi ablato, denuo aliud inducitur; et mirum est, quod aliqui inter anatomicos fuerint adeo istud contagium pertimescentes, ut neminem istorum aegrorum cadaverum dissecaverit umquam, inter quos ipse anatomicorum Italorum princeps recensetur.

Jam nunc in primis sciendum est, quidnam sint contagia, vel potius miasmata contagiosa: atque ut recentiorem, probabilioremque forsan opinionem feramus circa illorum naturam, ea esse censemus quasdam potentias morbificas (Brera de' contagii) in organismo humano infirmo productas, atque ab ipso eli-

minatas per communicationem in aliis individuis, eamdem morbi formam ad producendum aptas. Juxta quam definitionem nil obstat, quin ipsa phthisis contagiosa esse possit: attamen ne fusius de quaestione nostro scopo minime analoga disseram hic, utrum nempe accipienda sit illa opinio, vel potius alia praeferenda contagii originem circiter ego, inquam talibus quaestionibus relictis, de modo, quo suppositum contagium phthisicum avolvi possit prius loquar, et deinde utrum omnes essentiales characteres, ut talis dicatur habeat, examinabo, et tandem exponam omnia facta, quae erroneam opinionem esse circa essentiam contagii comprobant, atqua tali ratione de amovenda hac falsa idea ex vulgi non tantum, sed etiam quorumdam medicorum mente sperabo, ut tanti abusus, et tot damna, quae equidem non pauca ex hoc oriuntur, auferantur. Interim cum de contagii insussistentia locutus fuero, aliquam noxam ipsam phthisim sanis individuis afferra posse interdum, dicere non negligam.

Quibus positis animadvertendum est, potentias has, sive miasmata contagiosa in volatilia, et fixa distingui posse, in illa nempe, quae per aerem propagantur, atque in illa, quae per contactum mediatum, vel immediatum corporum, ex unis in alios organismos transmittuntur. Pretium itaque operis est, ut investigemus per quemnam modum contagium hoc propagetur. Inter auctores contagii phthisici existentiam sustinentes, aliqui credide-

runt, illud propagari posse per atmosphaeram; inter quos Ballonius, Riverius, Rolfinius, aliique. Ut talis opinio admittatur, necessum omnino est, ut aliquae particulae materiales ex phthisici corpore evolvantur, atque pro apto vehiculo aerem invenientes, cum illo commisceantur, et in ipsa innatent. Sed undenam tales particulae veniunt? .... Certe vel cum insensibili perspiratione corporis phthisici, aut ex ipsius expiratione. Si ab hac veniunt, nihil aliud esse debent, quam quaedam materiei purulentae portio, quae adeo tenuis fiat, ut in aere fluitare possit, quod inverisimile videtur, atque impossibile ad credendum, nisi supponatur, illam decomponi, et solvi, et tunc quomodo sibi persuadi potest ipsam producere contagium? .... Attamen concedamus utrumque res sit, hujusmodi materiam posse adeo attenuari, ut in atmosphaera vehatur, aut cum atmasphaera per solutionem, et decompositionem combinatur; necesse primum est; ut ipsam materiem contagiosum characterem habere comprobetur; de qua quaestione imposterum tractabimus.

Alium materieî contagiosae, quam creditur in aere atmosphaerico extare fontem, phthisicum circumambiente, ab illius corporis insensibili transpiratione venire posse supponimus, sive ab exhalatione meatuum inorganicorum, quod quidem admitti posset in quantum illa exhalatio subtilissimae, et levissimae naturae sistit materiem, adeo, ut in aere innatari queat. Sed quomodo comprobabitur

hanc materiem hujusmodi esse indolis, ut cum una vice in organismo introducta sit, quamdam mutationem in illo inducere morbosam, et semetipsam regenerare valeat? Quod quidem non ita facile concipi, nec comprobari potest; opporteret enim, ut prius essentialis differentia, quae minima intercedit inter hanc et alias phthises institueretur, et specifica indoles phthiseos pulmonalis apponeretur, per quam transpiratio, quae a talibus phthisicis fit sit diversa ab illa, quae emanatur ab aliis, in quibus idem processus suppuratorius in organis diversis existit, quin de transpirationis qualitative mutatae noxia suspicetur; et re quidem vera nemo umquam adfuit, qui intestinalem, peritonaealem, hepaticam, renalem, cisticam, uterinam, aliasque phthises contagiosas esse dixerit.

Quibus diligentur, et sine aliqua partialitate perpensis, quis non est qui concipiat facile per respirationem, nec per traspirationem propagari posse contagium? Quisnam ergo atmosphaeram alicujus phthisis pulmonalis infecti ab illa cujuscumque alius phthisici minime differre posse inficiabitur? Quod si atmosphaera contagium transferre nequit, opponitur tamen in localitate ipsa materiei contagiosae fomitem existere, quod falsum esse breviter, et paucis ostendam verbis.

Sustinetur itaque a nonnullis adfectionem topicam pulmonum talem esse, ut materies in ipsis elaborata, et excreta per communicationem valeat eumdem morbum inducere.

Quam falsa, et erronea ejusmodi opinio sit cognitu facile sistit, si praecipue phthisis naturam, et originem consideremus. Quid enim est phthisis pulmonalis confirmata (nam non nisi de hac sermo hic esse potest)? Diversimode definitur phthisis a fere omnibus practicis, uti a Winslow, Reid, Sauvages, Wanswieten, Willis, Cullen, aliisque; sed omnes in eamdem opinionem collimant, esse nempe phthisim totius corporis emaciationem cum expectoratione purulenta, et cum febri hectica. Pretium itaque operis est, ut investigemus quaenam sit ejus origo, quae facile deducitur ab inflammationibus, tum catarrhosis, cum phlegmonosis viarum aerearum, ab haemoptysi, a tuberculis, et ab asthmate.

Qua de re divisio fit phthisis in siccam, et humidam, prouti nempe pus per apertum ulcus e pulmonibus elicitur, vel non: liquet igitur quod sanguinis oxidatio in pulmonibus infectis, quae essentialis omnino est, ut sanguis ipse aptus sit stimulus ad vitam sustinendam, perfecte non fiat, vel ipse sanguis magna in parte impeditur ad efformationem puris, per quam aliae partes sufficienter non nutriuntur, et pedetentim languent, atrophicae fiunt, et consumuntur ex integro per continuam jacturam absque restauratione humorum vitam sustinentium.

Primam originem phthisis praestant inflammationes catarrhosae, vel phlegmonosae. Catarrhus nempe plerumque mitis sanum hominem corripit, qui praeter levem titillatio-

nem in trachea, vel in bronchiis, quae tussim continuam sustinet, cum sputis ab initio aquosis, et spumosis, deinde crassioribus, et cum aliqua sanguinis stria mixtis, et praeter dolores tensivos, et pungentes tam ad dorsum, quam ad arthus, lassitudinem adaugentem vespertino tempore, quo horripilationes adparent, caloribus fugacibus alternantes; nullam aliam gravem molestiam ferens aegrotans, initiantem morbum negligit; vel stimulis tentat illum, aut incauta tempestatis injuriis, et aeris vicissitudinibus se exponit, unde respirii difficultas increscit, tussis violenta fit, ardor in pectore, et febris intensiores evadunt, subdole decurrens membranae mucosae bronchiorum inflammatio, desinit tandem in suppurationem, quae pro conditione ipsa substrati, et aliarum circumstantiarum malae indolis est, difficillime sanatur, et in phthisim veram abit, quod multo magis contingit, si dispositio ad illam invenitur jam prius in aegrotante. Inflammatio deinde phlegmonosa viscera respirationis adgrediens, vel sua violentia, vel pravo, aut insufficienti tractamine, et faventibus organorum ipsorum structura parenchimatosa, quae maximam proclivitatem in suppurationem ponit, nec non ipsorum functione oxidationem sanguinis prospiciente; illa inflammatio, inquam, semper nititur in suppurationem, et in ipsam facillime abit, nisi ars naturae viribus consociata illam praecavere conatur: a qua suppuratione exorta, tandem ulcus fit, quod consolida-

ri nunquam potest ex eo quod pars ulceratu in continuo motu versetur, magnus sanguinis adfluxus ibi concurrit, et praesertim ex eo quod est semper in contactu cum aere atmosphaerico, qui sistit stimulum valde molestum, et sustinet inflammationem ipsius ulceris. Cum itaque una vice fuerit ulcus inductum, hoc adaugetur pedetentim per inflammatum helonem periferiour, unde substantia nutritiva ingesta fere cuncta impenditur ad efformationem puris, atque aliae partes, nutritione propemodum carent, et emaciatio fit, sive phthisis, quae adaugetur per febrim lentam tum ab irritatione topica, cum ab ebsorptione puris in circulum productam. Aliam phthisis pulmonalis origicem recognoscimus in haemoptysi exantlata, quae si non semper, plerumque tamen, post repetitas praecipue accessiones, ulcus in pulmonibus inducit, quod pro diversitate subjecti, causarum, et aliarum circumstantiarum cicatrizzeri interdum nequit, et proinde phthisim progignit. Tubercula porro aliam causam phthisis, et juxta Cullenium praecipuam, et frequentiorem ponunt. Parvuli isti tumores, qui glandulas obduratas esse videntur, existunt in pulmonibus ab initio indolentes, sed temporis lapsu inflammantur, in parvos abscessus inde abeunt; aut vomicas, quibus tandem ruptis, pus in bronchiorum diramationes effundunt, ex quibus elicitur per os, et fit expectoratio purulenta, quae originem praebet phthisi. Ultimam demum phthisis origini causam tribuere

censuimus asthma spasmodicum, quod certe quamquam a quibusdam auctoribus pro phthisis causa persaepe habeatur, attamen istiusmodi ego essem opinionis, ut illa progigni nequeat, nisi secundario modo per posthuma scilicet ab ipso asthmate inducta, sicuti essent tubercula, haemorrhagiae, aliaeque consequentiae.

Si ideisco manifestam phthisis causam abunde invenimus in supradictis conditionibus pathologicis viscerum pectoris, curnam illa quaeri vult in contagio? Quidnam magis sensui repugnat, quam explicare velle per ignotas rationes illa phoenomena, quae aculorum sensu adparent? Contagium ex. gr. nos forsan pravi causam arguemus in phthisi, quae adeo frequens est Vindobonae, ut mortuorum a phthisi numerus plus quam dimidiam partem sistat; dum evidentur causas in abundantia pulveris illarum viarum, nec non in quorundam ventorum valde frigidorum praedominio requirere consonum est? . . . Quid igitur mirum, quod pulmo sensibilissimum, et in inflammationem procliva organum tum propter suam strupturam parenchimatosam, et copiosis vasculis sanguineis ditissimum, tum propter functionem cui dicatur, adeo facile inflammationibus subditus sit sub supradictis causis? Et quamadmodum non ignoratur, quod organa parenchimatosa, at in inflammationem proinde proclivia maximum ostendant nisum in suppurationem, ita mirandum non erit, quod ibidem tantus phthisicorum numerus re-

periatur independenter omnino a contagio: Quod si contagiosa esset illa phthisis certe post aliquod tempus omnes corripere deberet.

An contagiosa phthisis indoles a puris peculiari, et specifica natura dependet? An tale pus cum ad gradum quemdam phthisis pervenerit, varias, et proprias qualitates aquirit, per quas eorbus propagatur? Illius materiei characteres omne dubium amovent: nulla enim in pure ulceratorum pulmonum observata fuit umquam discrepantia a pure aliorum ulcerues cujuscumque corporis partis: et ab experimentis tum chaemicis, quae physicis, et ab accuratioribus observationibus a plurimis celeberrimis viris, uti a Morton, Hunter, Home, Darwin, aliisque institutis pus a desorganisatione pulmonum veniens minime differre constat; quapropter consequens est, ut, admissa contagiosa indole puris pulmonum, talis quoque esse debeat illa, cujuscumque puris tum hepatis, cum renum, et cujuslibet corporis abscessus, a quo effluvia prodeant, quod quidem veritati, et experientiae repugnat, unde liquet quod ipsum pulmonum pus contagiosum esse nequeat, utut physico-chaemicus pulmonum processus ab illo aliorum organorum diversus considerari velit: idqua eo magis, quod ex ipso illa effluvia non evolvuntur, quae aerem adeo inficiunt, uti per ulcera pleraque indolis malignae, aut cancrenosae, et quae tamen contagiosae non sunt, contingit.

Jam nunc praeter rationem, facta quoque disquirenda veniunt: atque idcirco phthisici contagii patroni plures phthisis casus in sanis subjectis superventae, mediantibus vel conversatione, vel adcubitu cum phthisicis individuis, vel illorum supellectilium, aut vestium usu, in medium proferunt. Ita Rivière de quadam Ancilla refert, quae ob operam suam propriae dominae navatam, tali morbo correpta, inde periit: quaedam nutrix (idem auctor loquitur) eumdem finem habuit propterea quod mammas phthisico infanti praebuerit. Schenkius narrat medicum ex solo sputorum phthisici olfactu hunc morbum retulisse. M. Roulin robustissimum Sacerdotem pus e pulmonibus ejicere se vidisse testatur, quia quotidie ad ludi mensam consisteret dominam contra phthisi laborantem, per quam deinde extremum fatum ipsa subivit. M. Baumes refert de quodam subjecto optima constituto, et a sanissimis parentibus orto, in quo nulla de dispositione, neque de praesentia phthisis suspicio esse poterat, et tamen hujus morbi victima fuit, eo quia sollicitus fuerit erga phthisicum, ejusque supellectes, et vestes collexerit: idem auctor alios ejusdem naturae casus praebet, et varii alii quoque in contagii phthisici fautorum scriptis passim leguntur.

Sed a proposita brevitate nimis secederem, si illa omnia relata exempla singillatim examinare, et refellere vellem; hinc animadvertere in genere sufficiat, quod illi auctores ni-

mis a vi praeventiva ducti, decipi potuerint, cum illarum phthisium causam contagio tribuissent. Si enim circumstantias praecedentes, tum et concomitantes, nec non varias constitutiones individuales subjectorum, quae sistunt in suis exemplis rite perpendissent, absque ulla difficultate in causa phthisis accidentales causas, et ad suppurationem in organis respirationis inducendam aptas, et independenter a contagio reperissent; generales enim has causas morbi adeo funesti, et vulgati invenimus vel in repentinis aeris modo sicci, modo humidi, modo frigidi, mox sirocalis vicissitudinibus, vel in quadam vitae generis mollitie, quae physicas constitutiones infirmat; vel econtra in vivendi ratione turpi, et intemperanti, quae organismum sfibrando huic infirmitati eum submittit; vel illam tandem phthisim effectus esse posse organicae praeformationis, per quam hic jam praestatutus morbus veluti favilla sub igne latebat, usque dum vel mediante corporis evolutione, vel mediantibus faventibus circumstantiis phthisis evoluta fuit. Quoties, sic ait Medicus sat doctus Ubertus Bettoli in quadam sua dissertatione contra contagium phthisicum (Giorn. della Società Med. Chirurg. di Parma vol. XI.) quoties dum inculpantur vestes tamquam morbi communicatrices, praecipue a vulgo, si bene, et diligenter res examinentur evidenter conspicitur, quod subjectum illud jam profunde per dispositionem hereditariam phthisi infectum erat, quin il-

Iam per vestium usum contraxisset; et nonnisi quam a mala ratiocinandi ratione istiusmodi vestium usui accidentali tributa fuit causa, quae potius in praecedentibus circumstantiis latens exquirenda erat. Quamobrem illius opinionis assa malo, ne factorum veritatem contendere audeam, ut tales contagii fautores nimis propria opinione suffulti decepti sint, quae illis impediit, quominus cum illa serupolosa, atque impartiali medica curiositate, quae necessaria est in disquirendis morborum diversorum, et naturae phoenomenorum rationibus, et causis observarent. Atque reapse quomodo talibus exemplis fides habenda esset, dum assidua, et justa praxis, aequa ac audaciora experimenta sufficienter docuerint tabidum contagium insussistens esse?

Omnibus equidem notum est, quod contagia dispositionem ullam non exposcant in individuis ad se propagandum, et proinde indistincte corripiunt quodcumque subjectum, quod se illorum actioni incaute exponat. Quanam de causa contagium phthisicum solum hac praecipua contagium efficiente proprietate carebit? Cur nam non omnes se contagio exponentes illo non inficiuntur? . . . Si contagiosa reapsa esset phthisis deberent illam prae primis contrahere qui talibus aegris continuo praesto sunt, nec non ipsi medici; proinde illius expertes omnino essa nequirant illi omnes, qui cum phthisicis accumbunt, pronti quotidie unicuique videre licet; quomodo de-

mum adeo impune a celeberrimo Stark tot phthisicorum cadaveres secti fuere et contiz nuo ab omnibus anatomicis dissecantur innocene, quid quod quidam alii, nec non ipse italorum Anatomicorum Princeps timuere? Non erit itaque phthisis umquam contagiosa.

Hujusmodi veritas a multorum proceorum auctoritate, et observationibus confirmatur, qui per contagium propagatam phthisim numquam conspicere potuerunt. Inter antiquiores reapse celebritate notos medicos hocce contagium minime reperitur adnotatum, quemadmodum apud Medicinae Parentem, Galenum, Trallianum, Arethaeum Cappadocem, Paulum Aeginetam, Aetium, Celium Aurelianum, Celsum, Rasis, Avicenna, Bonnetum, Bellinum, Sydenham, Boerhaavium, plurimosque alios, et quamquam opponi hic possit, de insussistentia contagii phthisici minime locutos esse tales auctores, attamen manifestum est, quod si contagium illud extitisset umquam, tantorum virorum sapientia, et praxi expertissimorum certe sensus minime effugissent, et si qua suspicio tantum in illis adfuisset, illam profecto nobis in propriis scriptis cum de phthisi loquuntur, notam reddidissent. Inter recentiores ne ullus equidem adest medicus sapiens de hoc contagio suspicatus. Portal (observations sur la nature, et le traitement de la phthisie pulmonaire) longe abest, ut integras familias a phthisi consumptas fuisse inficietur, sed falsum adsertum esse demonstrat hoc a contagii propa-

gatione ortum duxisse, cum facile causa vel in quadam organica dispositione hereditaria, aut congenita, aut in accidentalibus causis, uti egomet supra enunciavi, quaerenda sit. Celeber Cullenius infinitum phthisicorum numerum tractasse refert quin umquam contagii vestigia cernere potuerit in omnibus suis aegrotantibus pro causa illius morbi. Bosquillon (Élémens de médécine practique Tom. 2. châpitre 4.) per viginti annos experimenta, et observationes quamplurimas, et exactissimas de hac quaestione instituisse refert, et amplius quam mille phthisicos curasse, quin post scrupolosissimas etiam indagines certior fieri nequisset, ne unum quidem inter omnes talem morbum per contagium contraxisse, non obstante, quod accumberent sana cum phthisicis subjectis in locis angustis, minima ventilatis, atque immundis; quin imo individua phthisi detenta in stadio postremo per plures menses una cum sanissimis nutricibus, et robustis, quin istae morbo adgrederentur, vixisse addit. Experimentalissimus quidam practicus Doctor Ribichini (memor. sull' insussist. del contagio tisico del Sig. Dott. Bonelli) de insussistentia phthisici contagii persuasus audax experimentum instituere ad hunc scopum minime dubitavit; vestes itaque mortuorum a phthisi pulmonali pluries ipsemet distribuere juvenibus, et filiis mendicis voluit, quin aliqua earum purgatio fieret, atque tali ratione semper conspexit nullam ne quidem minimam labem, aut contagii ma-

culam ab illis, qui cum talibus laneis lyntbeis, sive pannis nuda membra tegerunt, relatam fuisse. Quomodo immunes manere potuissent isti mendici si contagiosa esset phthisis, dum pro certo scimus alia contagia per unam tantum vestem, vel per quodcumque corpus propagata fuisse, vastissimasque regiones brevi temporis spatio desolasse? Ita fuit equidem de horrida Venetiarum peste, quae ibi propagata ab unico habitu cujusdam peste laborantis a Valsugana venientis tantam stragem produxit.

Plurima hujuscemodi exempla necessum si esset, atque validissimas hominum clarissimorum auctoritates afferre adhuc possem; sed supraenunciata sufficient pro illis, qui optime de ratione uti solent, et qui popularibus praejudiciis freti non sunt.

Ex dictis elicitur excludendam omnino esse contagii phthisici existentiam; si enim volumus cuncta supra exposita facta impartialiter examinare, et disquirere exactissime, quae contagii fautores ad propriam opinionem comprobandam in medium afferunt, si illorum refutationem facillime instituendam ope solius rationis usus, et virorum in arte nostra celeberrimorum adscrta auctoritate plena animadvertere, si factis irrefragabilibus ab optimis relatis scriptoribus mentem figimus, quae hujus contagii existentiae opponuntur, quae facta quotidie experientia comprobat, quaeque a quolibet medico examinari, et comprobari possunt; si denique experimentis

et observationibus diligentissime a pluribus institutis fides praestari debet, clare patet, quantum contra ipsam rationem pugnari debeat, ut falsa contagii phthisici opinio sequi possit.

Quamvis attamen insussistentiam contagii phthisici contra illius sectatores contendere studuerim, hoc nihilominus animadvertere non desinam, quod nempe quidquam damni afferra possit phthisis ad altiorem suum gradum evecta, si cum tali morbo adfecto quispiam adcumbere diutius sibi permittat, quod duplici de causa contingit, nempe quia noxia principia a tabido emanata sanus absorbet; deinde quia sumptibus propriis subministrat tabido principia nutritiva.

Atque illud equidem evidens est, quod atmosphaera phthisicum circumambiens cum effluviis mephiticis, et putridis impregnata sit, noxia magis, vel minus esse debeat pro illo, qui in eadem ad longum tempus moratur, et de illa vescitur, principiis enim illa atmosphaera destituitur, quae ad bonam corporis nutritionem, et vegetationem essentialia sunt, aliisque econtra instruitur quammaxime organismo infensis, et vim vitalem pessumdantibus. Praeterea par quotidianam experientiam nemo ignorat, quod duae individua, senem nempe, et viribus destitutum, cum juvene, et robusto adcumbens robur a postremo, et sanitas ipsa ammitti debeat, id quod econtra a sene adipiscitur, quemadmodum experimentatissimi medici testantur. Ne-

que per aliam rationem commendarunt medici ipsi in phthisis curatione, atque in tabe, aut marasmo senili, ut adoubitus fieret cum robustis, floridisque juvenibus, quam ex ea ratione, quod priores proprias vires refocillare possent robur acquirendo a bene constitutis, et vigentibus individuis. Atque cuique nota erunt exempla senescentis Davidis, qui cum adolescentulo convivebat, illudque Borgomastri Amstelodamii, cui Boerhaavius ad adcumbendum inter duos vigentes juvenes pristini roboris acquirendi gratia consuluit (vedi Chiappa discorso sulla comunicazione vitale, che ha luogo nel contatto di due individui).

Quod autem noxia esse debeat atmosphaera alicujus phthisici pulmonalis phthisis adfecti non solum, sed alius cujuscumque, tam a ratione, quam a factis, aliorumque auctoritate elicitur. Sub pathologico enim, et suppurativo processu aliqua acredo certe evolvitur, quae corpus sanum inficit, videmus enim qualem foetorem mandant aegri tales; jam nunc illa atmosphaera, in qua processus reproductivus transit in colliquationem, et putredinem, non potest esse salubris adstantibus, et praecipue per longum tempus in illa morantibus, uti certe salubre esse non potest una cum putrescentibus cadaveribus accumbere, et reapse Talpius fatetur, quod in phthisici cadavere labens conspexisset consumpti pulmonis vitium, per quod deterruit a sectione foetor tabidus, noxius forsan non minus medicis, quam ipsis consanguineis; at

Benedictus dixit in phthisici cadavere pulmones inter dissecandum in amurcam sordescentem mutatos vidisse, ex quibus facile concipitur, quantam mephitim talia sputa, quae canosa, et argillosa ille auctor vocat quandoque produeant: unde insalubris fit illa conditio atmosphaerica pro sano corpore, quae principia non continet sufficientia pro nutritione non solum, sed etiam nociva.

Quod autem quidquam e sano, et robusto corpore alicujus individui secernatur, cum ipsiusmet damno, evidens videtur eb effectibus, nam si senis quispiam, vel qualiscumque tabidus una cum sano, et robusto juvene adcumbat, videtur manifestissime, senem laetiorem habitum ostendere, et aliquam in suis viribus energiam acquirere, et videtur tabidum si non emendatur, saltem emaciationis suae progressus sisti, vel retardari quammaxime. Quidquam ergo debet e sano corpore exire, quod nutritivum sit, et vires refocillans, non sine detrimento deperdentis illud. Ast cujusnam indolis sunt talia principia? An est calor, an electricitas, an principium, aut aura vitalis, quae omnia in aequilibrium se restituere nituntur in organismo, sive microcosmo, quod parcam illius quantitatem possidet? Certe in hac adsertione veritas aliqua latet: si enim consideramus omnia haec tria momenta organismo viventi essentialiter esse inhaerentia, et indivisibilia ab illo, si consideramus ipsorum agendi rationem omnino ignotam praecipuam essa ener-

giae virium; et salutis servandae causam, si consideramus ea inter se debere connecti, quin imo quod aliud possit esse alterius effectus, vel etiam forsan non sint insimel quam unum principium tantum, facile intelligimus, quod jactura ab juvene, et sano homine facta in nostro casu debeat in illis principiis speciatim consistere, et proinde pro illo sat noxia evadere.

Insalubre porro esse adcubitum cum aegris tabidis, nemo est inter medicos, qui hoc ignoret. Illud equidem bene agnoscebat ipse Galenus, qui in suo libro de febribus dixit: « Periculosum propterea est illis consuescere, qui tabe tenentur, atque in totum cum omnibus, qui putridum adeo expirant, ut domicilia, in quibus decumbunt graviter oleant ». Haec equidem Galeni propositio male a quibusdam accepta, et interpretata fuit, siquidem illius auctoritatem in medium aliqui protulerint, ut contagii existentiam comprobarent, nam Galenus numquam ibi de contagio mentionem facit, sed hoc unum monet, quod periculosum sit cum tabidis consuescere ob putridas illorum exhalationes, quod certa negari non potest, nam videmus a quibusdam cum talibus aegris adcumbentibus continuo, et assidue, contrahi febrem aliqnam, monente Bosquillon, quae certe mediantibus aliquibus opportunis remediis fugatur, quin aliqua de morbo phthisico labes relinquere-tur, et illa fabris profecto non ab aliis causis originem suam agnoscit, quam ab illis ipsis,

quaa in mephitidibus paludosis illam producere valent.

Ex hucusque dictis liquet, quod tum vetustorum, cum recentiorum scriptorum opinio circa contagiosam naturam phthisis pulmonalis, falsis omnino fundamentis innitatur, quia nondum reddita sit ejusdem contagii evolutionis ratio; quia minime contagiorum characteres essentialiores in phthisi cernantur, prouti in aliis contagiis cernuntur, quia denique aliorum celeberrimorum tum antiquorum, cum neotericorum adserta, et experimenta sufficienter comprobant erroneitatem opinionis in quaestione, sanae equidem rationi omnino repugnantem. Abunde demum medici officio satisfecisse arbitror, cum cuique notum fecissem dia, atque continuo cum phthisico confirmato adcumbere damnosum esse, prouti aeque damnosum est aerem variis eterogeneis, et pravis elementis infectum, suisque qualitatibus destitutum inspirare, et de illo vesci, ut aliquae consequentiae evitentur, quae interdum occurrere possunt. Et tali ratione tot infelicium phthisicorum salus opportunis vicinorum, et parentum auxiliis non destituetur, animi pathemata inter familias evitabuntur, neque illarum pax, et concordia funestabitur, quae omnia bona auferre contagii phthisici fautores barbare, et inhumane conantur; neque ego tamen necessarias ad publicam salutem incolumem servandam, morbosque praecavendos politiae medicae instructiones, et regulas in phthisi pulmonali

observandas, excludo, cum damna, quae a tali phthisi in alios individuos sanos per adcubitum, vel connubium venire possunt, notum omnibus fecerim.

THESES.

I.

Media arteriarum membrana muscularis minime est.

II.

In curanda syphilide cum mercurialibus salivatio minime necessaria.

III.

Actio Mercurii determinari nequit.

IV.

Absque causarum notione neque diagnosis, neque prognosis, neque therapia recte institui possunt.

V.

In anaphrodisia est optimum remedium electricitas.

VI.

Nulla certa incipientis verae graviditatis signa a Medico Forensi desumi possunt.